



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 7. Sabaudiæ ac Ferrariæ Duces, necnon Mantuæ Marchio Fœderi  
accedere rogati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

ora expeditione adversus infideles sumpta eam persequantur. VIII. Foederatorum Principum nullus absque ceterorum assensu pacem, vel inducias cum Venetis paciscatur. IX. Denique ne contentio, quæ Cæsarem inter, ac Regem Catholicum tunc gliscebatur, foederis consilia, atque successum everteret, communi utriusque suffragio feligantur Commissarii, quorum opera, peracto cum Venetis bello, lis amica compositione dirimatur.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1508.

§. VII.

*Sabaudia ac Ferraria Duces, nec non Mantua Marchio Foederi accedere rogati.*

Præterea inter eos sancitum, quod etiam Sabaudia Dux, ut foederi nomen daret, sollicitetur, hunc vero ut eo facilius inducerent, promissi amplitudine apud eum plurimum valitura sibi concilient, spe eadem facta, illum foederatorum ope regnum Cypri, quod a Venetis occupatum, suum esse contendebat, facile recuperaturum; igitur Sabaudia Dux coronæ, cujus jacturam ægerrime ferebat, fiducia captus, Foederatorum votis lubens acquievit. Nec difficilius expugnabatur Ferrariensis, ac Mantuani Ducum constantia; cum enim illi plurimas urbes,

*Hist. de la Ligue l. cit. p. 87. Et suiv. Marim. l. 29 Guicc lib. 8.*

Secul. XVI  
A C 1508. arcesque, quas Veneti usurpaverant, amississent, propositam armorum societatem velut occasionem non minus gloriosam, quam summe proficuum suspiciebant, unde & ipsi hac opportunitate usuri, se quoque foederi huic accessuros spondebant.

## §. VIII.

*Neglectis Pisanorum studiis, Florentini ad ineundum foedus sollicitati.*

*Marian. lib.*  
*29. num. 66.*

Denique ad augendas Foederatorum vires etiam Florentini, ut sese illis conjungerent, sollicitabantur: cum vero horum societas absque gravissimo Pisanorum damno confici haud potuerit, illius auctores non levem inde suo nomini maculam inusserunt; quippe ambæ hæ nationes, cum continuis inter se jurgiis colliderentur, litium suarum arbitros selegerunt Galliae, atque Arragoniae Reges. Pisanis favebat populus, & quivis eorum causæ patrocinari videbatur, hinc præstolabantur omnes, ut ambo Reges amica saltem transactione controversiæ finem imponerent. Verum hi Florentinos potius in foederis sui societatem adducere adlaborabant: Pisanos vero hostium suorum violentiæ relinquebant, utque glaucoma objicerent populo, causabantur,